

De figuris lapidum, &c.

Iatur, sed (lego, & ad) defluvia comarum facere dicitur, Plinius. Sic & Polytrichum, id est, Adiantum: quod & Veneris capillos vulgo vocant: quod herba quidem est, sed in lapidibus & parietibus nascitur. Coliculos autem habet nigros ac nitentes, capillis similes: vnde Ebenotrichon, Terræ capillos & Cincinnalem vocat aliqui. Hac herbam si forte Plinius pro lapide accipit, & Polytricha, & Veneris crines appellauit: contrarium fecit quam in Leucographide, quæ cum lapis sit, ab ipso inter herbas recensetur. Bostrychiten Zoroastres vocat, crinibus mulierum similiorem, Plinius: malim, similem. nam Botryitis, quæ præcedit, non capillis sed vuis similis est. Pyriten sunt qui & Sideriten vocent, & bostrychiten, Hermolaus Barb. Puto autem pyritæ speciem inueniri, quæ referat pilos: aut βοσπύχες, hoc est, cirrhos, concinnos, vel plexos mulierū crines. Ad Bostrychitæ nomen accedit

Bostrychi-
tes.